

23  
SCHOLÆ THEOLOGICÆ  
EX AFFLUENTISSIMO  
SACRÆ SCRIPTURÆ  
THESAURO

#  
31490  
JUXTA LITERAM  
PRIMÆ ET SECUNDÆ LECTIONIS CATECHISMI  
PER ILLUSTRIS ABBATIS

CLAUDII FLEURY

ADAMUSSIMÆ ERUTÆ,

QUÆ,

CELEBERRIMO MAXIMI CATHOLICÆ ECCLESIAE DOCTORUM

DIVI HIERONYMI

NOMINE ILLUSTRATÆ,

Publicâ luce donantur defendendæ

IN ANGELORUM - POPULI PALAFOXIANO MUSÉO  
A BACC. D. JOANNE DEL BARRIO ET PATIÑO,

Ipsius Seminarii Collegâ, sacræ Theologiæ Candidato, amœniorumque Literarum  
Academiz Cultore,

EX NOVISSIMO PRÆSCRIPTO

ILL<sup>MI</sup>. D. D. D. FRANCISCI FABIAN ET FUERO,

Dignissimi Præsulis Angelopolitani.

ASSIDEBIT PRÆSES

D. EMMANUEL CORTÉS DE HINOJOSA,

In præfati Gymnasii Collegarum numerum quondam adscitus, Pro-Rector ibidem,  
Professorque Philosophicæ Cathedræ; impræsentiarum verò Sacræ Scripturæ  
Cathedratici titulo decoratus.

(  
ANGELOPOLI: Typis ejusdem Seminarii. Anno Salutis M. DCC. LXXI.  
(D. L. D. R.)

INSIGNI MULTARUM LINGUARUM

PERITIA VIRO,

ERUDITISSIMO SACRÆ LEGIS INTERPRETI,

HÆRETICORUM VALIDISSIMO MALLEO,

ECCLESIAE CATHOLICÆ

INEXPUGNABILI TURRI,

PRÆSTANTISSIMO MORUM EXEMPLO,

TOTIUS MUNDI CLARISSIMO MAGISTRO,

MAXIMO TANDEM ECCLESIAE DOCTORI

**DIVO HIERONYMO**

*BACC. D. JOANNES DEL BARRIO*

*ET PATIÑO,*

Angelorum-Populi perillustris Palafoxiani Gymnasii

Alumnus, lubens meritò dedicat

consecratque.



INSIGNI MULLARUM LINGUARUM

TERCIA VRO

ERUDITISSIMO SACRAE LEGIS INTERPRETI

HERETICORUM VALIDISSIMO MALLEO

ECCLESIAE CATHOLICAE

INEXPUGNABILI TURRI

PRAESTANTISSIMO MORUM EXEMPLO

TOTIUS MUNDI CLARISSIMO MAGISTRO

MAXIMO EANDEM ECCLESIAE DOCTORI

DIVO HERONIMO

BACC D. JOHANNES DEL BARRIO

ET PATINO


Angelorum Populi perillustri Palatino Hispani

Alumnus, lubens merito deditur

correctio

(13 1/2 x 18 1/2) 6 ff. 1/2 p. + 10 p.

1 vol. 120 lin. panta



**Q**UAERENTI MIHI, DIU  
multumque cogitanti, EGREGI CA-  
THOLICORUM MAGISTER, quã-  
nam re possem maxima Tua ac penè im-  
mortalia non solùm in me, verùm etiam  
in universam Christi Ecclesiam merita  
remunerari, nulla major occurrebat quàm  
si Tibi inscriberem aliquid depromptum  
ex Studiis meis, eademque operâ testifica-  
ver mirificum quemdam amorem erga Te

meum

meum. Eaproptèr consilium tandèm au-

quando cepi, libentèrque arripui occasio-

nem diù optatam offerendi Tibi munus

istud, si aut ex sua aut ex tua dignita-

te spectetur, perexiguum; si ex viribus

meis, mediocre; si ex animo, magnum.

Conclusiones quaedam sunt è puris putis-

que sacrae Scripturae fontibus haustae.

Quarè hoc quidquid est muneris, si modò

est aliquid, Te uno certè dignum, Tibique

quàm simillimum.

Nimirum Tu ille es (nihil hìc de

summa illa atque antiquissima Gentis

Vestrae aut nobilitate aut potentia dicam;

nihil

nihil de toto illo genere Bonorum, quod ita

Tuum est, ut & aliorum sit;) Tu, inquam,

ille es, qui ab oriente usque in occidentem

ad instar lampadis resplenduisti: qui Lin-

guarum exoticarum tantam habuisti pe-

ritiam, ut Graecam, Hebraeam, Syram,

Chaldaeam, & Latinam perinde ac Dal-

maticam vernaculam tuam Linguam cal-

léres.

Politioribus Literis eras optimè ex-

cultus; in Historia sacra, ecclesiastica &

profana adprimè versatus; nullum Scrip-

torum genus quod non delibâris; nulli

Historici, nulli Poëtae, nulli Oratores,

nulli

Aug. lib.

1. cont.

Jul. c. 7.

nulli Philosophi tam Graeci quam Latini, quos Ipse herculeo & indefatigabili studio nocturnâ non versaris manu, versarisque diurnâ.

Quid nunc ego mores illos Tuos plane, ut Poetae loquuntur, aureos laudem? Tu ille es, qui quando in aciem cum Haereticis prodis, nemo pugnacior aut qui plus habeat lacertorum; qui quando respondes Obtrectatoribus, nemo fervidior, nemo acrior; quando res gestas narras, nemo elegantior aut qui plus habeat venustatis; quando funebrem orationem instituis, nemo ad consolandum aptior, ad laudandum

copiosior quando familiaritèr cum Ami-  
cis & Necessariis per Literas collóque-  
ris, nemo suavior, nemo comtior; Tu tan-  
dem ille es, omnium qui olim sacras Lite-  
ras interpretati sunt, longè doctissimus,  
quippe qui plurimos annos in vertendis sa-  
cris Libris feliciter desudasti atque elabo-  
rasti.

Ea de causa meritò ac jure fuisti  
naetus, ut Versio illa tua, quae nunc Vul-  
gata dicitur, innumeris aliis praeferreretur,  
& ab universa Ecclesia Latina obviis,  
quòd ajunt, ulnis exciperetur; utque Pa-  
tres Concilii Tridentini sanxissent, quòd,



Sess. 4.

repudiatis rejectisque omnibus sacrae Scrip-  
turae Versionibus, quae fungorum instar  
continuo pullulabant & ebulliebant, una  
haec, tamquam verior, purior, dilucidior,  
suis fontibus, unde orta est, magis consen-  
tiens, longoque tot seculorum usu probata,  
in Ecclesiis retineretur.

Eo decreto (quo nihil opportunius  
accidere potuit) Antistites illi Triden-  
tini nedum consuluerunt Ecclesiae tran-  
quillitati, sed etiam cohibuerunt effrae-  
nem audaciam quorundam Haereticorum,  
qui dum sacras Scripturas illotis, ut fe-  
runt, manibus tractare ac terere voluerunt,

nec

nec aquas sapientiae salutaris, nec venas  
vitae, penitus illis abditas, invenire po-  
tuerunt, sed pro thesauro carbones offen-  
derunt.

Quo praeterea fit ut omnes omnino  
qui in latissimo Ecclesiae catholicae cam-  
po militamus, & Scripturas sacras oculis  
assidue percurrere, & quam tutissime per-  
volutare ac ruminari possimus.

Universa haec & singula, queis  
Tibi, MAXIME ECCLESIAE DOC-  
TOR, in perpetuum devinctos profitemur,  
adeò me hortantur & invitant ut haec  
de sanctâ Scripturâ Themata Tuo sacro

nomini speciatim dedicem, ut nec si alio  
ipsa mittere vellem, possem; nec si pos-  
sem, vellem.

Tu igitur, Vir in divinis Scripturis  
inter omnes Doctores eruditissime, munus-  
culum hocce quod concinnavi Tibi, quan-  
tumvis tenue & exiguum, benignè am-  
plexere unà cum mittentis animo, quo Te,  
eximiasque Tuas virtutes omni obsequio-  
rum genere prosequor, omnique cultu, ob-  
servantiâ, fide, memoriâ colam  
sempiternâ.





PROPOSITIONES

DE PROMPTÆ

É LIMPIDISSIMIS

SACRÆ SCRIPTURÆ

FLUENTIS

JUXTA LITERAM ET SPIRITUM

PRIMÆ ET SECUNDÆ LECTIONIS CATECHISMI

PER ILLUSTRIS ABBATIS

CLAUDII FLEURY.

EX PRIMA LECTIONE.

**N**ON immeritò quidè̄m thesauro cuiusdam con-  
fetur *divinarum Scripturarum* lectio; nam sicut ex  
illo quisquis vel parvum fructum capere valet, multas  
uberrimasque sibi parat divitias; ita & in Sacra Scrip-

tura, etiam in brevi dictione, variam sententiarum vim,  
 & immensos Scientiarum fontes invenire licet. Nèc so-  
 lum thesauro divina Eloquia sunt similia, sed fonti  
 quoque scaturienti, largis perennibusque fluentis; mag-  
 na namque est hujus thesauri abundantia, & fecunda  
 fontis hujus spiritualis ubertas; qui enim ante nos fuere  
 pro viribus suis aquas inde hauserunt; similiter etiam  
 qui post nos futuri sunt idem attentabunt; nec sic to-  
 tum evacuare potuerunt illi, sed magis interim augescunt  
 flumina & increscunt. Hæc ergo spiritualium fluminum  
 natura est ut eò maximè scaturiant, & spiritualis gratia  
 accrescat, quò quis magis inde haurire studet.

EX PRIMA LECTIONE.

**P**rimum autem hujus divi-  
 nae Historiae volumen, sicut  
 & alia quatuor isti conti-  
 nuata (uno verbo dicam),  
 totum *Pentatheucum* non  
 ab alio conscriptum esse as-  
 serimus quam à Moyse, an-  
 tiquo Judæorum Legislatore:  
 Iste igitur nihil aliud

per hæc verba: *In principio  
 creavit Deus Cælum, &  
 Terram* ipso suæ narratio-  
 nis limine allata, nisi nostri  
 Symboli initium, quo Deum  
 Creatorem Coeli & Terræ  
 confitemur, nobis ante ocu-  
 los ponit. Id pariter ipsam  
 Præclarissimus ille Vir *Claudio*

*dius Fleury* caput constituit *Historici* eius *Catechismi*, cujus equidem verba qualibet in assertione pro archetypo nobis erunt.

Quamobrè in adversus Simonis Magi errorem, Deum mediantibus intellectualibus Creaturis Mundum produxisse, aientis; Defendimus ac propugnamus: Ita soli Deo creationem competere, ut nulla Creatura non modo ut principalis, verum nec etiam ut instrumentalis causa ad talem actionem concurrere possit.

Dies autem, quibus totum Mundi opificium conditum esse Textus sacer expròmit, & naturales verosque fuisse, & sufficienter enumeratos esse, cum Nostro ANGELICO PRÆCEPTORE pro viribus ac posse statuimus.

In primo enim istorum, ut tenebrae quae erant super faciem Abyssis, removerentur, utque Divinae Sa-

piantiae Operum fieret manifestatio, supremique corporis distinctio, aptissimè Lucis productio recitatur; Hanc tamèn non quandam Nubem lucidam, quae postmodum facto Sole in praejacentem materiam redderet, sed ipsum Solis lumen fuisse, patrocinari conabimur.

Secundà verò die, ut Aquas inferiores à superioribus divideret, produxit Deus Firmamentum; per quod non octavam Sphaeram seu Cœlum stellatum accipere velis, sed secundam aëris Regionem in qua Nubes condensantur, nobiscum intellige.

Tertià demùm Terram, quae duobus prioribus inanis erat & vacua omni Herbarum genere & ulmum & noxiarum, suis foliis ac fructibus vestivit.

In ipso autem corpore supremo Solem, ac Lunam optimo jure quartà die collocavit.

Medium verò corpus, videlicet Aquam, suis habitatoribus quintâ die replevit; non tamen hos omnes ex uno eodemque elemento, sed Pisces ex aqua, Aves autem ex aëre crasso & concreto vaporibus tanquam ex materiali causa eduxit.

Infimum tandem, scilicet Terram, naturalibus Animalium terrestrium, nocivorum etiam, speciebus sextâ die ornavit.

Posteâ verò quàm divinum Numen hæc omnia finxit, absolutum Mundi compendium, temporis ac æternitatis Horizontem, spirituum corporumque sacrum vinculum, totius Universi nexum & hymeneum, infinitæ Dei Sapientiæ præclarissimum testimonium, mollientis naturæ decus opusque ejus perfectissimum, Protoparentem nostrum, **ADAMUM**, nempe, qui primus omnium Hominum fuit, ad imaginem

& similitudinem suam extra Paradisum condidit.

Quam equidem **TRINITATIS** imaginem, secundum mentem tamen quolibet in Homine necesse est invenire.

Corpus verò istius primæ Hominis de limo terræ à Deo immediatè productum; Animam ejus ex nihilo creatam, spiritualemque ac incorruptibilem esse, sicut & cujuslibet Hominis, cum **D. THOMA** suademus ac propugnamus.

Sapientissimus denique Mundi Creator & Rector in amœnissimo quodam Horto, nempe Paradiso (qui & usque nunc permanet), utpotè habitationi humanæ nimis conveniente, Hominem posuit *ut operaretur, & custodiret illum*; Ibi que costam, quam ex ejusdem Adami dormientis latere tulit, *edificavit in Mulierem, & adduxit eam ad illum.*

Ex quo dilucidè agnosces, <sup>et contrac-</sup> ~~Matrimonium~~ <sup>Sacramen-</sup> ~~etiam~~ ante peccatum stirisse.

Cùmque tandèm perfecta omnibusque suis numeris absoluta esset totius Mundi machina: Requievit Deus die septimâ ab omni opere, quod patrârat.

Jàm verò Homo in illo felicissimo Innocentiæ statu constitutus, super omnia Animantia dõminium habebat; non tamèn illis ad vescendum utebatur, nam esus Carnium tunc non erat illi permissus; Nec etiam ad tegumentum, nam Vestes pro tempore illo necessariæ non erant; sed tantummodò ad experimentalem scientiam de illis accipiendam.

In illo etiam impassibilis erat Homo & immortalis, si tamèn de ligno scientiæ boni & mali, ab eventu futuro sic appellata, non comedisset; hoc enim præceptum Deus ratione domini, quod in omnes Creaturas obtinet, ad ejus obedientiam exercendam eidem imposuerat.

Ac postremò in illo cognitionem quandam altiorè de Deo habuit; undè (ut Aquilius Doctor inquit): *Fortassis Deus primis Homibus antea loquebatur, sicut cum Angelis loquitur, incommutabili veritate illustrans mentes Eorum;* neutiquàm tamèn ipsum per Essentiam & secundùm communem statum *Beatitudinis* videbat.







EX SECUNDA LECTIONE.

**E**tiamsi à Moyse, rerum creationem recensente, productio spiritualis Creaturæ fuerit prætermissa nè rudi Populo, cui loquebatur, occasionem ad idololatriam præberet; cùm Noster tamèn *Catechismus* de his intelligibilibus Substantiis sermonem instituat, Nos quoquè

de illis mentionem facere oportet.

**A**C primùm hos divinæ Bonitatis radios non ante Mundum visibilem, sed simul cum creatura corporea, nonque alio in loco quàm in Empyreo creatos, esse astruimus.

Hos etiam supernæ gloriæ Spectatores Naturæ dignitate Homines longè præcedere, ab istisque autèm in aliquibus Donis gratuitis & supernaturalibus superari,

nullus Vir prudens in dubium vertere debet.

Cùm verò Deus hanc summorum spirituum naturam mutabilem condiderit, etsi omnes in veritate fuerint, non tamèn omnes in illa permanserunt, sed superior eorum, *Lucifer*, nimirum, elatione inflatus, Beatitudini quam meruerat, impedimentum apposuit; qua de causâ *dejectus fuit*  
de

de Cælo, & traxit secum  
tertiam partem Stella-  
rum.

Ex quo profectò est: Pri-  
mum Angelorum delictum  
non aliud fuisse quàm *Su-  
perbiam*, ac per consequens  
*Invidiam*; pluresque stitisse  
qui in gratia remanserunt,  
quàm qui hoc scelus per-  
petrârunt.

Pro hujus rei tandèm di-  
lucidatione defendere haud  
renuimus, hos cœlestes Spi-  
ritus cunctis ex ordinibus  
cecidisse; illosque, sicut &  
peccatores omnes de curri-  
culo vitæ sine gratia Dei  
decedentes, æternâ poenâ  
puniri.

Istorum autèm malorum  
Angelorum caput (Diabo-  
lum, nempe, cujus proprium  
est tentare) felicitatis invi-  
dum, quâ nostri primi Pa-  
rentes fruebantur, veri Ser-  
pentis organo utentem,  
*EVAM* intra ipsum Para-  
dysum seduxisse, pro certo  
habemus.

Hujusmodi verò colloquio  
Mulierem inter & Serpen-  
tem, ad cuius aspectum &  
loquelam minime cohorrui-  
t illa seù obstupuit, Adamus  
non interfuit, sed ista post-  
modum de ligno prædicto  
Viro suo dedit, illeque co-  
médit.

Esum deniquè hujus Ar-  
boris, non etenim ejus tac-  
tum illis fuisse prohibitum;  
Istiusque primæ tentationis  
ordinem & modum con-  
venientissimum esse, pari-  
tèr stabilimus.

Et cum Ecclesiastico attes-  
tante: *Initium omnis pecca-  
ti sit superbia*, ipsammet  
Protoparentis nostri fuisse  
primam culpam, huncque  
divinam Similitudinem ap-  
petuisse, inficiabitur nemo.

Statim verò quòd hoc  
Dei mandatum uterque fuit  
transgressus, *aperti fuerunt  
oculi amborum, & cogno-  
verunt se esse nudos*: Hanc  
igitur oculorum apertionem  
aliqui intellectus, alteri ipsi

corporali sensui attribuunt;  
Nos tamèn primum libentèr  
negamus, secundum verò  
concedimus.

Ex ipso etiàm nupèr lau-  
dato textu Protoparentes  
nostros ante peccatum non  
fuisse verè nudos, benè verò  
post illud, non incongruè  
deducimus.

Quod equidèm cum ita  
esset, *consuerunt folia ficus,*  
& *fecerunt sibi perizoma-*  
*tas* magis verò hujus ficul-  
neæ folia quàm alterius  
sumpserunt, tùm quia hæc  
haud sanè multùm eisdem  
abfuerunt, tùm quia etiàm il-  
la ad eorum nuditatem con-  
fusibilem operiendam maxi-  
mè idonea judicârunt.

Hocque peracto *abscon-*  
*derunt se à facie Dei;* in  
in quo Eos non peccasse,  
proprio apertoque Marte  
contendimus.

Causam autèm ob quam  
ante delictum, cùm nudi  
essent, non erubescabant,

posteaque erubuerunt, non  
aliam agnoscimus nisi quia  
nihil turpe nihilque inho-  
nestum in se ante hoc ani-  
madverterunt.

*Cùm enim audissent vo-*  
*cem Domini in Paradiso*  
*deambulantis,* sonitum il-  
lum esse Dei ab illis fuit  
apertum, non quasi ipse  
fortis esset, sed quia nullus  
alius erat in illo loco, quem  
tunc venire putarent; ab is-  
toque supremo omnium re-  
rum Governatore vocatus  
Adam, protinùs in istius ju-  
dicio hic & Uxor ejus com-  
paruere, ac suas allegaverunt  
excusationes, non quòd eas  
legitimas crediderint, sed  
per hoc voluerunt, ut ipso-  
rum culpa extenuaretur.

Maledictionem verò, quæ  
3. Genesis Capite narratur,  
literalitèr ad Serpentem, ad  
Diabolum quippè literalitèr  
etiam, vel saltim spirituali-  
tèr referri; Inimicitiasque,  
quas Deus inter Mulierem  
posuit & Serpentem, magis  
CHRISTO Domino, & B.

VIR.

VIRGINI contra Dæmo-  
nem pugnantis, etiam ad  
literam convenire; ac de-  
mum Incarnationis Myste-  
rium Adamo ante statum  
peccati fuisse revelatum,  
nostrum est totis viribus  
defensare.

Nec enim ob hoc mire-  
ris, si cum Nost. D. THO-  
MA pariformiter dicamus,  
Sacram Scripturam sub una  
litera plures posse sensus  
habere.

Jam verò per ipsius  
Adæ peccatum Naturam hu-  
mana integritatis atque im-  
mortalitatis Dono, Justitiã  
originali, & Gratiã sanctifi-  
cante spoliata fuit; ad mag-  
numque laborem, qui *su-  
doris* nomine in Scriptu-  
ra signatur, condemnata:  
Qui quidem labor semper  
permanebit usquedum per  
mortem Homo in terram,  
de qua formatus est, resol-  
vatur.

Nomine autem *panis* ibi-  
dem allati omne quod quæ-  
rimus necessariumque est  
nobis ad victum intelligimus.

Similiter Agriculturam  
non post peccatum, sed si-  
mul cum Homine incepisse  
defendimus.

Subjectionem verò Mu-  
lieris ad Viros, qualis nunc  
est, in statu *Innocentiæ* non  
stitisse; in quo etiam ejus  
partus fuisse absque dolore;  
nullamque istiusmodi sub-  
jectionem in illa cœlesti  
Hierusalem futuram esse,  
constantèr asseveramus.

Protoparentes deniquè  
nostros eadem die quã pec-  
cârunt, ejectos fuisse è Pa-  
radiso, pauco atque tempo-  
re ante Solis occasum hoc  
contigisse, nemo est qui  
non videat.

Post hoc verò collocavit  
*Deus ante Paradisum vo-  
luptatis Cherubim*, per quod  
voluit lignum vitæ, & in-  
troitum istius Horti necdum  
ab Hominibus, sed etiam à  
Dæmonibus custodiri.

Per illum *flammeum gla-  
dium*, de quo ibi fit men-  
tio,

tiō, ignem significari quem  
Deus de novo creavit, con-  
vertendo fortè illam mate-  
riam aëream ejusdem loci  
in ignem; huncque esse per  
modum muri ambientis to-  
tum Paradisi locum, aperte  
dicimus atque firmamus.

Istæ equidè sunt mise-  
riæ calamitatesvè quæ ex  
Adami peccato fuerunt sub-  
secutæ; inter quas etiã  
quatuor vulnera quæ, dùm  
peccavit, non tantum sibi,  
sed & toti Naturæ humanæ  
infixit, enumeramus, *con-*  
*cupiscentiam, nempè, ma-*  
*litiã, ignorantiam, & in-*  
*firmitatem.*

*Mors* etiam per illam  
in hunc *Mundum* intra-  
vit; quam quidè senten-  
tiam ipse Dominus protu-  
lit, dùm dixit: *Quocumque*  
*die comederis, morte mo-*  
*rieris.*

Per quod non solùm  
temporalem, sed etiam mor-  
tem æternam, præcipuè cum  
mortale peccatum reatum  
poenæ æternæ inducat, sig-  
nificari quisque intelligat.

Ab hac tamèn Clemen-  
tissimus ille Deus Miseri-  
cordiã suã Adamum libe-  
ravit, ad ejusque claram &  
intuitivam *Visionem* illum  
tandèm introduxit.

*Designatur dies*

*Mensis Junii*

*Anni supra positi.*



32051  
3